Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31304
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

75

iocundus et boni solatii. cum paululum substitisset, ita loqui exorsus
est. Iamdiu est inquit amantissimi fratres, ex quo per gratiam dei a passi-
onibus viciorum sentio me non mediocriter exoneratum. Sed quoniam temptacio
est vita hominis super terram, quis gloriabitur castum se habere cor? Si enim
dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas
in nobis non est. In medio namque laqueorum ambulantes, et hostili-
bus gladiis circumquaque patentes, nisi scuto divine protectionis assi-
due muniamur, nunquam nobis cavere poterimus ab hiis qui sagittant
in obscuro rectos corde. Confidimus tamen in domino quia fidelis est,
et non patietur nos temptari super id quod possumus. Et nunc ubi exempli
gratia aliquid referam, in quo potestis advertere cuiusmodi temptationibus
aliquotiens inquietor. Quadam itaque die cum brumalis asperitas so-
lito intemperiore pruina rigesceret, et nix copiosa de nubibus deflueret,
ego torpentibus membris nudus intra iacebam. Verumtamen rerum sator
optimus deus qui dat nivem sicut lanam, et nebulam sicut cinerem spargit, ipse mi-
hi laneo amictu quod deerat niveum operitorium destinavit, magnum quidem
et amplum atque ad unius cubiti mensuram fere extensum. Quo circum-
quaque late expanso, ita operiebar, ut de corpore nichil appareret. Tan-
tummodo circa faciem meam virgula fumantis anhelitus ab ore pro-
cedens, superiectam nivem paulatim undique reliquabat, et modi-
cam fecit aperturam. Interea lepusculus quidam ante faciem nivis et
frigoris fugiens, atque ad pausandum latebras quiritans, casu
venit ad ipsum foramen. Qui suavitate caloris illectus, ilico substi-